





ORATIO
IN FVNERE
VIRI DOCTRINA ET
VIRTVTIBVS CLARISSIMI,
Doctoris IACOBI BORDINGI,
Hafniensis Academiae Rectoris, & Serenissimi
Danicae Regis
Medici:

Habita a

IOHANNE SPITHOVIO Monasteriensi,
Academiae eiusdem
Professore Physico.



VITEBERGÆ
EXCVDEBAT IOHANNES
CRATO.

ANNO M. D. LXII.



Bordingo Christus dederat, ceu uerus Apollo,
Non solum ut medica primus in arte foret.
Sed mentem illius sancto quoq; flamine rexit,
Et uera ornauit cognitione sui.
Ipsius ex uultu bonitas, candorq; refulsit,
Et Sol iusticiae Filius ipse Dei.
Parisijs sanctae docuit primordia linguae,
Et simul Argolico uerba referre sono.
Tunc & amiciciae tibi uinclis inclyte S T V R M I,
Inde S A D O L E T O iunctus amore fuit.
Doctorem Medicum praecleara Bononia fecit,
Arte sua patriae profuit inde sua.
Post in Saxonis uixit cum coniuge terris,
Ut posset uera religione frui.
IANVS cum Princeps ALBERTVS semper ama-
Et Danico Regi gratus alumnus erat. (uit,
Ille pie uixit, sancte hinc discessit, & inter
Nunc canit Angelicos carmina leta choros.
Hunc ita cum celebret suauis SPITHOVIVS ore
Perpetuae laudem posteritatis habet.
Cumq; DEVS prolem defendat, ametq; piorum,
Ipsius est felix tota futura domus.

DAVID CHYTRAEVS.

ORATIO.



LARISSIMI VIRI, AC
cæteri, qui huc conuenistis, audito-
res humanissimi: Solebant olim Ro-
mani iuuenes ex more institutoq;
maiorum in funeribus laudare san-
guinis propinquitate coniunctos, tum ut ingenij sui
specimen aliquod ederent, tum ut illo facto aditum
sibi quendam ad laudem popularem inueniendam
compararent. Quorum institutum tametsi non
culpam, sed potius laudem, de me tamen sic uelin-
quisq; uestrum statuatur, neutrum planè horum à me
hoc in loco captari: quippe qui facile intelligam
populari uento nihil esse inconstantius, ingenium
uerò tam in me esse sentiam exiguum, ut felicitis me-
moriæ uiri huius uirtutes pro dignitate nequeam
celebrare. Quæ itaq;, dicet quispiam, res te hunc
in locum prodire compulit? ut quia uiuo neq; pro
ipsius doctrina & uirtute debitam obseruantiam,
neq; pro magnis & multis erga nos & hanc scho-
lam nostram meritis parem referre gratiam potui-
mus, hoc saltem mortuo officium ultimum defer-
rem. Quod sanè ipsum eò feci libentius, tum quòd
illustrissimum plurimarum uirtutum exemplum in
huius uiri prædicatione oculis intueri licet, tum
uerò maxime, quòd rectè præclareq; eos facere
existimo, qui, dum præstantium, in quibus hic iure
numerari potest, hominum uitam recensent, ad ue-

A4 2 re &

O R A T I O

ra & minimè fucata uirtutis studium alios hor-
 tari nituntur. Gestæ nanq; res & uita præclarorū
 hominum ante oculos posita, subdunt quasi calca-
 caria alijs, quibus stimulentur ad eorum, quos præ-
 dicari audiunt, imitationem: ac tanta in ijs uis est,
 ut ingenia non planè stupida, eorum cogitatione ad
 uirtutis studium capessendum uehementius inflam-
 mentur. Debent enim orationes funebres, & mo-
 numenta defunctorum memorie consecrata, nō uir-
 tutes modò eorū depingere, sed multò magis alios
 ad omnia honesti officia, uitæq; dignitatem ample-
 ctendam excitare. Etsi uerò non ignorem alios
 esse ad hanc prouinciam sustinendam magis instru-
 ctos, ego tamen ex omnibus unus eam hodiè susce-
 pi, non qui maximè possem, sed qui maximè debe-
 rem humeris eam meis imponere ac sustinere. Ne
 quid enim de communis patriæ dicam necessitudine
 (cū omne solum bono cuiq; debeat esse patria) ne
 quid inquam de ea dicam necessitudine, fuit mihi
 sæpè præclarus hic uir grauiorum studiorum hor-
 tator, meq; ipsum omnibus beneuolentiæ officijs
 semper est prosecutus. Cū itaq; officij necessitas
 hunc in locū descendere me compulerit, ne in ma-
 nes uiri aut ingratus, aut certè impius fuisse uide-
 rer, non à uobis facti huius hoc tempore peto ue-
 niam, sed id potius à uobis, si patimini, contendam,
 si tenuius, angustius, ac pressius dixero, quàm uir-
 tutes huius uiri merentur, culpam ut eius rei, non
solum

F V N E B R I S .

Solum ingenij mei tenuitati, uerum etiam magnitudi-
 dini uirtutum ipsius tribuendam esse existimetis.
 Æquè enim difficile est, si quid Isocrati credimus,
 eximias aliorum uirtutes celebrare, atq; eos, qui
 nihil planè encomio dignum perpetrârunt, laudi-
 bus extollere: cum in his nullarum uirtutum actio-
 nes luceant, ob quas meritò prædicari possint, in
 illis uerò tam sint multæ ac tam illustres, ut pro ip-
 sarum dignitate uerbis nequeant aptis explicari.
 Id, uestra erga me æquitate ac beneuolentia fretus
 cum facturos uos esse confidam, à patria, uti fieri
 solet, huius uiri exorsus, uitæ totius historiam,
 quemadmodum à fide dignis eam accipi, breuiter
 pertexam, obnixè petens, ut dicentem me, aut po-
 tius balbutientem benignè patienterq; audiatis.
 Natus est IACOBVS BORDINGVS anno
 Seruatoris nostri millesimo, quingentesimo, undeci-
 mo, mensis Iulij die 11. hora pomeridiana circiter
 octaua, Autuerpiæ, Vrbe Brabantia totius floren-
 tissima & opulentissima. Parentes habuit NICO-
 LAVM BORDINGVM et ADRIANAM
 ADRIANÆ ciues urbis eiusdem nullis (ut ex
 multis cognoui) uitæ integritate secundos. Hi,
 cum facultates haberent tantas, partim hæreditate,
 partim mercaturis exercendis honestè compara-
 tas, ut filio ad studia colenda sumtus necessarios
 mediocriter suppeditare possent, simulq; in hoc fi-
 lio suo adhuc puero indolis alicuius præclaræ in-

O R A T I O

dicia animaduertent, illis ipsum literis, quibus per etatem imbui potuit, diligenter instituendum esse statuerunt. Annum itaq; agens nonum in disciplinam traditus est scholæ Antuerpiensis moderatori, Magistro NICOLAO BVSCODV=CENSI, homini (uti ex illis, qui ipsum nouerunt, intellexi) non doctrina modò, uerumetiam pietate singulari prædito. Nam ob puræ religionis doctrinam & confessionem Bruxellæ in carcerem non ita multò post coniectus est: è quo tamen Dei quodam beneficio emissus esse dicitur. Ab hoc cùm prima primarum artium rudimenta feliciter percepisset, ac certiora iam indolis ingenijq; signa dedisset, in quibus ueluti herbis quibusdam minimè fallacibus fructus olim capiendi apparerent, missus est Louanium, urbem tum temporis doctis hominibus celebrem: ubi cùm in Castrensi pædagogio logica & Physica degustasset, ad linguarum postea studium applicuit animum: quod intelligeret sine earũ notitia ad ueram Philosophiam non perueniri. Quid enim aliquo perueniendi profunt studia, nisi quis ea prius, quæ eò, quò intendit, ferunt deducuntq; cognõrit? Eiusmodi cùm linguas esse iuuenis Philosophiæ cognoscendæ amore accensus rectè animaduertent, cœpit in eas seriò diligenterq; incumbere. Erant id temporis Louanij CONRADVS GOCLENIUS Vestphalus, et NICOLAUS CLEONARDVS: quorum ille eloquentiæ studijs

F V N E B R I S.

dijs ea in Academia cæteris antecelluit omnibus, hic uerò græcam & hebraicam linguam tum docendo tum scribendo illustrauit. Edidit nanq; in lucem utriusq; linguæ elementa, quæ ob breuitatem & facilitatem hoc tempore passim in scholis magno cum iuuentutis fructu docentur. Erat etiam ibidem RVTGERVS RESCIVS, qui græcas literas fideliter ac diligenter profitebatur. Hosce uiros IACOBVS BORDINGVS publicè prælegentes audiens, tantum breui tempore profecit in singulis, ut, qua ætate alij in hisce discendis incipiunt laborare, ea ipse ætate in iisdem excelleret. Quam ob rem pater ita feliciter à primis inde annis institutum, ac tam subitò in linguarum studijs progressum (erat enim annos natus octodecim) misit Lutetiam, ut ibi ad linguarum cognitionem grauius quoddam doctrinæ genus adiungeret, ad quod naturæ propensione maximè duceretur. Quemadmodum enim non ubiuis loci herba quæq; feliciter prouenit, ita etiam non cuiusq; ingenium doctrinæ cuiuslibet capax esse potest. Pater itaq; homo in filio erudiendo prudens, cum ipsum inuestigatione rerū capi animaduerteteret, naturæ eum & studijs suis obsequi passus, Lutetiam ipsum misit annos iam natum octodecim, ut ea ætate medicinæ fundamenta iaceret. Erant eo tempore Lutetiæ Philosophi duo præstātes, IOHANNES COPVS & IACOBVS SILVIVS, quos utrosq; diligentissimè

O R A T I O

gentiſſimè audiuit : Illum quidem Aristotelis phi-
 losophiam, hunc autem Medicinæ artem fideliter
 docteq; tradentem. Quanquàm autem urbs sit Lu-
 tetia Gallia totius longè maxima, & omnium re-
 rum, quæ ad delicias & luxum spectant, copia af-
 fluens, in qua homo, cui res suppetit, ijs uicijs, ad
 quæ adoleſcentia procliuis eſſe ſolet, tanquàm uin-
 culis & compedibus quibusdam facilè irretiatur,
BORDINGVS tamen noſter adeò illis non eſt
 captus, ut, non dicam, in uno tantùm aliquo ſeſe
 effuderit, ſed in omnibus pariter ſeſe continuerit.
 Quî enim fieri poſſet hominem aut amoribus im-
 plicatum, aut conuiuiorum et lautarum menſarum
 aſſectam factum, aut deniq; alijs uoluptatum blan-
 dimentis illaqueatum, hoc ipſum conari, quod ſum-
 ma ille cum laude præſtitit? Nam ſtatim, ubi Lute-
 tiam ueniſſet, doctiſſimorum Philoſophorum audi-
 tor aſſiduus factus, non prima tantùm Medicæ ar-
 tis deguſtauit rudimenta, ſed multas etiam res in
 nature obſcuritate abditas atq; retruſas feliciter
 potuit eruere. Omittendæ ſunt enim omnibus om-
 nia cupiditatum lenocinia, qui ex Mineruæ caſtris
 laudem cupiunt aliquam reportare. **BORDIN-**
GVS itaq; Lutetiam ueniens cum ſummorum ſta-
 tim ac doctiſſimorum ea in urbe Philoſophorum
 auditor ſit factus quotidianus, & ab ipſorum late-
 re, quoad poſſet, nunquàm diſceſſerit, credendum
 eſt, imò planè neceſſarium, uitam ipſum in iuuen-
 tute

F V N E B R I S.

tute omnis labis ac foeditatis expertem traduxisse, ac lutulentorum uiciorum adeò nihil Lutetiæ unquam ipsum contraxisse, ut uitæ etiam ac morum integritate optimorum ac doctrina præstantissimorum hominum gratiam sibi conciliârit. Nam cum Philosophiæ amore planè ardentem studiorum nerui destituerent, quòd à parentib. ad ipsum misse pecuniæ à uiarum latronibus interceptæ fuissent, patuerunt illi domus doctorum hominum, quire consilijsq; ipsum suis adiuuerunt. Cum autem græcæ & hebraicæ linguæ cognitione haud uulgari instructus esset, ac eam ceu uiaticum quoddam Louanio secum asportauisset, instigante IOHANNES TVRMIO, ac cæteris quibusdam hortantibus, qui studijs ijsdem delectabantur, græcas et hebraicas literas publicè magna cum laude professus est Parisijs in Lexouïensi collegio, cui IOHANNES TARTESIVS præfuit. Ex quo professionis genere, cū iam celebre nomen eius factum etiam magnis uiris innotuisset, multi liberos ipsi suos erudiendos tradiderunt, à quibus institutionis & diligentiae suæ fructum tam est uberem consecutus, ut mater, quæ adhuc marito et filio defunctis uiuit superstes, nullos ipsi ab eo tempore studiorum sumtus suppeditare necesse habuerit. Hæc itaq; uiri huius Lutetiæ in iuuentute fuerunt studia: à quibus quantoperè nostræ ætatis iuuenum mores dissideant, deplorare potius licet, quàm ipsos

A d s rectè

O R A T I O

rectè admonendo ad meliorem mentem reuocare. Sed si præclarorum iuuenum, qualis hic fuit, imaginem sibi præponentes animum & mentem suam cogitatione ac imitatione excellentium hominum conformarent, & quantum ocio, ludis, commestationibus, tantum pulcerrimum artium tribuerent studijs, feliciores profectò essemus Respub: habituri. Præclarè enim à Platone iudicatum est: nullas beatas esse ciuitates, nisi quibus aut Philosophi dominantur, aut quarum moderatores rectè philosophentur. Quare prudenter PHILIPPVS Macedonum rex Alexandrum filium suum Aristoteli in disciplinam traditum admonuit, Philosophiæ ut sedulam nauaret operam, ne multa committeret, quæ se fecisse pœniteret. Rectè enim perspexit rex ille sagacissimus, quantum philosophiæ studia afferrent momenti ad Rempublicam benè gubernandam, ac quanto rursus cum ciuium malo eius administratio permetteretur illis, qui Philosophiæ omnis essent ignari. Neq; enim putandum est, si Diogeni Philosopho adhibere fidem conuenit, eos mancos esse, qui aut surdi aut cæci sunt, sed eos potius, qui peram non habent, hoc est, qui Philosophiæ præceptis non sunt instituti. Neq; uerò BORDINGVS (ut ad ipsum redeam) ætate magis progressus, aut à uitæ integræ & incorruptæ instituto, aut à semel feliciter studiorum cursu incoato, ullis aut uoluptatum illecebris, aut laborum

rum

F V N E B R I S .

rum magnitudine & difficultate auocari potuit, sed in id potius uiribus omnibus contendit, ut in dies longius, discendo exercendoq; se procederet. Nam cum per singulas philosophiæ partes, ceu apicula quædam industria & laboriosa per campos saluberrimis herbis consitos, peruolitaßet, & medicinæ etiam studijs biennium propemodum totum tribuisset, cœpit de uia quadam secum diligenter cogitare, qua posset horum studiorum cursum feliciter conficere. E uiuis iam excesserat pater ipsius NICOLAUS BORDINGVS: quare ne matrem sumtibus in studia faciendis grauariet, in clientelam & fidem Episcopi Mimatensis IOHANNIS de ROSCHEFAULT sese contulit, quò eius liberalitate adiutus, id quod semel instituerat, ad exitum optatum perduceret. In huius uiri clientelam semel susceptus, ita se dedit in eius consuetudinem, ut prorsus unà uiueret, nec biennium ferè totum ab eo discederet, imò etiam sermone sæpè & familiariter cum ipso communicaret de rebus grauissimis. Nam (ut ex quibusdam eius cognoui familiaribus, quibus id ipse narrauit) cum Episcopus ex Diui Pauli ad Romanos epistola de saluatione gentium locum obscurum proponeret: & BORDINGVS rogatus sententiam, eruditè illum explicans, totam iustificationis nostri rationem ostēderet, admiratus Episcopus quibusnam ex libris homo iuuenis, & qui in Philo-
sophiæ

O R A T I O

phiæ studijs tantummodò uersatus esse uideretur, tam reconditarum rerum doctrinam hausisset, rogauit, num Vitebergensium libros unquam legisset? BORDINGVS itaq; PHILIPPI MELANTHONIS in ad Romanos Epistolam commentarium è sinu depromsit, ac eius sententiam cum sua conuenire ostendit. Episcopus tametsi PHILIPPI laudaret doctrinam ac sibi in loci illius explanatione satisfactum esse fateretur, autor tamen fuit BORDINGO, eius ut generis libros occultos seruaret, ne tum se, tum alios secum in uitæ discrimen adduceret, eo præsertim tempore, quo Iohannes Baptista Cætenarius Pötificis Maximi legatus, illis in locis ageret. Quanto autem amore & quantis beneuolentiæ officijs Episcopus Mimatensis BORDINGVM sit profecutus, non literæ tantum scriptæ, sed res etiam ipsa declarat. Nam missus est ab ipso in urbem quandam Galliæ medicinæ studijs florentissimam, quam Montempessulanum appellant, ubi ipse BORDINGVS quibusdam in literis affirmat se impensis Episcopi Mimatensis uixisse, & IOHANNEM SCIRRONIVM, DIONYSIVM FONTANVM, ANTONIVM SAPORTAM homines medendi arte clarissimos diligenter audiuisse. Sed posteaquam tum ob excellentem ingenij uim, tum ob præclarorum artium fundamenta antea probè iacta, celeriter ac multum in eo doctrinæ genere profecisset,

F V N E B R I S .

fecisset, Italiae amore accensus, ut illorum etiam ingeniorum & morum gustum aliquem haberet, coepit de profectioe in Italiam cum amicis consilia agitare. Carpentoracte itaq; primum in itinere deflectens, cum ibidem aliquandiu subsisteret, propterea quod ciues ibi haberet quosdam sui amantes, & ueteri sibi necessitudine coniunctos, ecce repente IACOBVS SADOLETVS Cardinalis & Carpentoractensis Episcopus, uir citra omnem controuersiam eloquentissimus, fama Romam, ubi tunc agebat, ad sese de BORDINGO, & eius singulari doctrina allata, scholae Carpentoractensi ipsum praefici, ac liberale illi stipendium decerni curauit. Quanti autem doctissimi in Italia uiri ipsius BORDINGI uix annos uiginti sex nati, ingenium, doctrinam, & uirtutem fecerint, ac quantis ipsum beneuolentiae studijs complexi sint, binæ ostendunt literæ: quarum alteræ à PAVLO SADOLETO ad ipsum BORDINGVM, alteræ uerò à IACOBO SADOLETO ad Romulum AMASÆVM de ipso sunt scriptæ, quas quidem, cum & elegantes sint, & testimonium doctrinae ac uirtutis grauisimum ipsi BORDINGO haud tacite tribuant, non grauaabor hoc loco recitare.

Gratissimæ (inquit ille in suis) mi BORDINGE fuerunt literæ tuæ, uel quod à docto uiro, ac in liberalibus studijs non mediocriter uersato, uel
quod

O R A T I O

quòd à studiosissimo nostri homines uidebantur
 scriptæ: Ita enim ego & Sadoletus patruus meus
 nati, ita instituti sumus, ut cum proborum uirorum
 erga nos studijs & beneuolentia maximè capia=
 mur, tum uirtuti atq; industriæ, quoquo in homine
 ea eluceat, plurimum tribuamus. Quare cum
 utrunq; in te esset, & optimarum literarum do=
 ctrina, & animus ad nos amandum propensus, ne=
 quaquam uereri debuisti, quin tuæ literæ per se
 nobis futuræ essent gratæ. Quanquam Centenarij
 nostri castissimi et modestissimi hominis testimoni=
 um de te ualet apud nos, sicuti quidem debet plu=
 rimum: Verùm id magis iucundum nobis accidit,
 quàm tibi necessarium fuit. Tuæ enim literæ satis
 per se loquebantur, te studio & beneuolentia no=
 stra, ac boni cuiusq; iudicio esse dignissimum. Itaq;
 ualde letati sumus, pro eo, quantum ciuitatis no=
 stræ Carpentoractis dignitatem atq; amplitudi=
 nem cupimus, talem ciues eos doctorem nactos esse,
 qui, quæ literæ, quæq; artes ingenuo ac liberali ho=
 mini maximè conueniant, earum artium atq; lite=
 rarum cognitionem tradere possit iuuentuti. Mul=
 ti enim anni sunt, cum in eo plurimum patruus
 elaborat, ut sit Carpentoracti aliquis, qui liberos
 in latinis & græcis literis instituere, & eorum
 animos ad præclararum rerum scientiam, quæ il=
 lis potissimum literis continetur, fingere atq; for=
 mare sit idoneus. Et aliquantò post iisdem in lite=
 ris, No=

FVNEBRIS.

ris. Nostram consuetudinem, quam te tantoperè appetiisse scribis, facile quidem tu talis uir adeptus esses, si nos isthic offendisses: nec dubito quantum familiaritate tua delectare nos potueris, cum unis tuis literis amicus planè nobis sis factus. Sed quando in his locis necessitate potius quadam, quàm uoluntate aut iudicio nostro distinemur: nos enim (quod te scire arbitror) certò nobis animi iudicio, perpetuum isthic domicilium uitæ constitueramus, quod institutum nequaquam cum ulla quanuis ampla dignitate commutassemus, si nobis tantummodò animi nostri sensus habenda ratio fuisset: Verùm ita Deo de nobis statuenti parendum fuit. Sed quando absentia nostra is tibi beneuolentiæ nostræ fructus eripitur, qui ex uultu & sermone familiari percipi solet, ita tibi cætera amicitiae officia præstabimus, ut non solum tu, sed omnes etiam ciues nostri te nobis familiarissimum atque amicissimum factum esse intelligant: nec dubito quin tibi uel opera, uel gratia, uel testimonio nostro prodesse aliquando possimus. Tuum erit, quod iudicium te facimus, & quam erga te beneuolentiam suscepimus, eam uirtute, industria, fide, atq; innocentia tueri. Romæ, prid. id. Decemb.

1537.

Hæc ille ad BORDINGVM de ipso, ex quibus fit euidentissimum, iuuentutis Carpentoractensis formandæ causa profectionem eius in Italiam
eo tem

O R A T I O

eo tempore SADOLETI consilio ac uoluntate
 fuisse impeditam. Neq; etiam dubium est muneri
 huic ita BORDINGVM præfuisse, ut ingenium
 eius, doctrina, uirtus, ac uitæ totius integritas sum-
 mis Italiæ uiris antea comprobata in omnium eti-
 am tum ciuium, tum iuuentutis sibi concreditæ
 oculos incurreret: maximè cum ipse dicere solitus
 sit, eos, qui alios docendi funguntur munere, non
 doctrina tantum, sed etiam uitæ innocentia, ac mo-
 rum integritate suis debere esse cõspicuos, ne idem
 ipsis accidere uideretur, quòd lyris, quæ pulchrè
 quidem & eleganter sonant alijs, se uerò ipsas mi-
 nimè audiunt. Putabat enim uir optimus & longo
 rerum usu iam didicerat, quòd iuuentus ad uirtu-
 tis studium alacrius inuitaretur, & ea in se uicia
 corrigi facilius pateretur, à quibus præceptores
 suos omnino alienos esse perspiceret. Rectè sanè
 DIOGENES interroganti, quonam quis pacto
 sibi præceptor foret? respondit: si de quibus alios
 reprehendit, seipsum prius accuset. Quid enim
 turpius, quàm temperantiæ, sobrietatis, castitatis,
 atq; adeo omnis uirtutis & religionis esse magi-
 stros, se uerò ipsos ebrietatis, gulæ, omnisq; generis
 libidinum uicijs sceleratè contaminare? & cum
 uirtutis laus omnis in actione consistat, omnium
 uirtutum officia singula exactè tenere, & uerbo-
 rum quodam apparatus fucato cotidie inculcare
 alijs, nihil uerò ipsos ullius uirtutis officijs præ-
 stare?

F V N E B R I S.

stare? Cuiusmodi Magistros Apostolus grauissimè increpat, inquit: Qui alium doces, te ipsum non doces, qui prædicas nõ furandum, ipse furaris, qui dicis non adulterandum, ipse committis adulterium. Cogitas autem ô homo, qui iudicas eos, qui talia faciunt, quòd tu suffugies iudicium Dei? B O R D I N G V S itaq; (ut ad ipsum nostra reuertatur oratio) in iuuentute Carpentoractensi instituenda, ita bonos mores ac uitæ sanctimoniam ad bonarum artium cognitionem adiunxit, ut quantum sciret, ac alios doceret, tantum quoq; ipse faceret. Qua ipsum mète atq; opinione fuisse S A D O L E T V S ipse ex literis ad se datis sibi planè persuadet, quas affirmat eo candore, atq; ea grauitate ab ipso scriptas, ut nihil nisi rectum, nisi pium, nisi seuerum et constans à tali animo sit expectandum. Hoc tam honesto ac sanctæ uitæ instituto usus B O R D I N G V S, cum se non modò crimine, sed etiam omnis criminis suspicione tutum seruaret, teneriores iuuentutis animos & literis & moribus fingeret, ferocios à uitæ licentia terreret, se continendo in officio cæteros sibi traditos contineret, deniq; omnia optimi formatoris officia cumulatè summa cum ciuium omnium utilitate iuuentuti præstaret, mirum uideri debet, tam præclarum doctrinæ et uirtutis testimonium à P A V L O S A D O L E T O illi datam esse? At enim tot laboribus cotidiè in ea schola rectè gubernanda, ac iuuentute græ-

B b cis

ORATIO

*cis latinisq; literis instituenda exercitatus, cū iam
 ciuium omnium beneuolentiam laborum assiduita=
 te, modestia, comitate, humanitate, ac cæteris uirtu=
 tibus omnibus sibi adiunxisset, cœpit de uitæ totius
 socia quoq; sibi adiungenda cogitare. Duxit itaq;
 annum natus uigesimum septimum uxorem, uirgi=
 nem castissimam FRANCISCAM NIGRO=
 NAM, TERMI NIGRONI, ciuis et patricij
 Genuensis & IOHANNÆ de ROSCHEL=
 LE Auenionensis filiam. Nuptiali conuiuio in do=
 mo IOHANNIS IULIANI Iurisconsulti,
 qui sororem FRANCISCÆ duxerat, appara=
 to, interfuerunt uiri doctrina & uirtute præstan=
 tissimi, in primis autem PAVLVS SADOLE=
 TVS cū tota Sadoleti Cardinalis ac patruī sui
 familia, PAVLVS SACRATVS, PE=
 TRVS BACHETVS Iurisconsultus & Poë=
 ta insignis, qui sponso scripsit Epithalamiū, STE=
 PHANVS NIGRONVS uxoris FRAN=
 CISCÆ patruus, GABRIEL ISVARDVS
 & ANTONIVS DALMATIVS: quos tan=
 tum nominandos duxi, quod existimem tantorum
 uirorum præsentiam declaratam ad uiri huius lau=
 dem pertinere. Hanc itaq; FRANCISCAM,
 quam nouem librorum adhuc uiuentium, & ad
 uirtutem omnem optimè educatorum multitudine
 quidem felicem, sed luctu et mariti sui orbitate mi=
 seram oculis modò uestris conspexistis, hanc in=
 quam*

F V N E B R I S.

quam posteaquam Carpentoracti duxisset, non ita multò post suos uisendi causa Antuerpiam celeritè contendit. Rebus suis ad arbitrium Antuerpiæ confectis, ad uxorem Carpentoracti apud patrum relictam eadem celeritate reuersus statim sese Bononiam contulit, ut Doctoris medicinae insignibus doctissimorum ibidem hominum suffragijs ornaretur. Vsum apparet eam ad rem commodius conficiendam IACOBI SADOLETI consilio & opera. Is enim ipsum ROMULO AMASÆO literis suis, quarum antea meminì, diligenter commendans. Venienti (inquit) istuc IACOBO BORDINGO, qui scholæ Carpentoractensi triennium præfuit, optimo uiro, & & græcis latinisq; literis eruditissimo, non potuè nihil ad te literarum dare, tum ut commendarem tibi hominem, quem mediufidius ego singulari beneuolentia complector, tum etiam ut tu agnosceres memoriam me tui cum summa item beneuolentia retinere. Is ea de causa Bononiam proficiscitur, ut, quoniam dedit aliquot annos Medicinæ operam, id studij & laboris in ista urbe perficiat, doctorumq; hominum iudicio statuatur dignus, qui ipse quoq; possit eam ciuibus suis artem & scientiam profiteri, quòd illum magna cum ingenij & doctrinae laude adepturum esse confido. Nunc etsi non dubito mi ROMULE, quin quem à me & diligere & probari intelligis, eum sis tuis studijs atq;

B b 2 officijs

O R A T I O

officijs omnibus profecuturus, tamen sic uolo te existimare, uix quenquam inueniri posse, in quo tua mihi officia accidere possint gratiora, quàm in BORDINGO, cui omnibus de causis meritò amicitissimus sum, cupioq; eum quàm maximè & celebrari & ornari. Quod tu præter cæteros egregiè mihi præstare potes, qui præes Bononiensi iuuentuti, & elegantibus ingenijs dominaris, in ea urbe natis, è qua eruditio & optimarum artium disciplina in has transalpinas nationes dimanasse uidetur. Porro autem hæc sunt, quæ te posco: Primùm ut diligas hominem ipse, & carum habeas, deindè ut eidem doctos isthic uiros concilies, reddasq; eum & meo & tuo testimonio omnibus notum. Postremò, ut cùm publicè iudicium de dignitate BORDINGI per doctorum collegium fiet, tu cùm tuis omnibus uestro eum comitatu frequentiaq; honestetis. Quanquàm summa postulatorum meorum hæc est, te uti ita geras aduersus BORDINGVM amore, studio, diligentia, ut intelligat, meam hanc sibi commendationem apud te plurimùm profuisse: egoq; in hoc homine experiar, id quod iam pridem scio, me abs te non solùm diligi, sed etiam uehementer amari. Vale mi ROMVLE. Carpentoracti 4. Calendas Octobris. Anno 1540. Hæc ille.

Quibus uerò beneuolentiæ studijs à præcipuis Academia Bononiensis uiris sapientiæ & doctrinæ lau=

F V N E B R I S.

na laude præstantibus sit BORDINGVS affectus, altera quadã ad SCIPIONEM BLANCHINVM scripta epistola idem Cardinalis copiosè commemorat. Scribit. n. MATTHÆVM CVRTIVM apud Bononienses Medicum insignem & doctissimum, ROMVLVM, totam simul Campegiorum domum in BORDINGO suam ipsi animum & amorem patefecisse, ipsi uerò BLANCHINO à BORDINGO multa multorum erga se officia commemorante summæ erga se humanitatis & præstantis cuiusdam liberalitatis testimonium datum esse, quippe qui coæctu ipsius apud ipsum diuersatus sit, & domo ipsius tanquam sua comiter iucundeq; sit usus. Pro quibus officijs gratias agit BLANCHINO idem Cardinalis, & quanquam omnium doctorum uirorum et fautor sit et obseruator, illa tamen sibi in BORDINGO tributa esse lubens agnoscit. Hæc ideò recitavi prolixius, ut ostendant & IACOBO SADOLETO Cardinali BORDINGVM longè fuisse carissimum, & BORDINGVM præter doctrinam & uirtutem propriam, etiam præclarum iudicij testimonium à SADOLETO datum, Bononiam secum attulisse, ut non uno, sed pluribus gradibus ascendens ad summum illud dignitatis locum uideatur peruenisse. Solent repentini honores inflare multos tumidosq; reddere. Difficile est enim in rebus prosperis modum tenere, &

B b 3 non

ORATIO

non egredi extra metas cancellosq; officij, & quidam, ubi uel tenuis aura afflauerit, usq; adeò efferruntur, ut pristinae conditionis obliti uix se ipsos agnoscant. Adeò uerissimū est illud Nasonis Poëtae:

Luxuriant animi rebus plerunq; secundis,

Nec facilè est æqua commoda mente pati.

At BORDINGVS hic noster Philosophica planè mente præditus, eundem semper animi statum etiam eo tempore constanter retinuit, quo insigni doctrina & sapientia uiri hospitio ipsum suo ac consuetudine familiari dignum iudicârūt, summo honore à schola Bononiensi tota ornatum humanissimè ac honorificentissimè à sese dimiserunt. Ceterum amplissimum iam uirtutis & doctrinae testimonium communi doctorum omnium iudicio Bononiae consecutus, quemadmodum ex diplomate Academiae Bononiensis magno licet cognoscere, quo ipsi haud sanè uulgaris tum doctrinae tum uirtutis testimonium tribuitur, statim Carpentoracte reuertitur annum agens nonum & uigesimum, ubi cum ob uerae religionis amorem absq; uxoris & propriae uitae discrimine diutius agere non posset, ac spes sese nonnulla ostenderet in patria uiuendi aliquantò & tutius & liberius, Antuerpiam cōmigravit, ut ciuibus illic suis artem, quam in Gallia & Italia didicisset, profiteretur. Quinquennium ibidem mansit propemodum totum & partim medicina faciendā, partim chirurgiae præceptis

F V N E B R I S .

ceptis tradendis sese exercuit. Anatomiae nanq; (ut ipse in quadam scribit epistola) atq; illorum praecceptorum, quae aliquot Methodi libris à GALENO sunt tradita, usum ita ostendit diligenter, ut auditores ipsius non parum se opera & diligentia ipsius profecisse etiam hodiè agnoscant. Licuisset homini decem annos in Gallia & Italia uersato, magna mercede in emporio totius Europae propè opulentissimo & celeberrimo medicinam facere, licuisset apud amicos, affines & sanguine coniunctos uitam honestam & suauem uiuere, opes praeterea non mediocres sibi in tanto opulentorum ciuium numero arte sua comparare : Sed quorsum attinet, uel uniuersum mundum lucrari, & animae detrimentum facere? terrena patria perfrui, et de caelesti amittenda in periculum uenire? scorium diu quaerendo captare, & auro margaritisq; preciosissimis alibi ultrò oblati spoliari? deniq; amicorum & propinquorum consuetudini esse affixum, et ab aeterni Dei & Angelorum ipsius societate exterminari? Quae singula BORDINGVS animo cum secum diligenter reputaret, & de solo rursus uertendo cogitaret, uerosimile est cogitationem illam haud sanè parum ipsius animum distraxisse. Habebat enim eo tempore non uxorem modò, sed etiam liberos, munus Antuerpiae gerebat publicum, quòd temerè deserendum non fuit ob uxorem & liberos, qui in eo, arte industriaq; ipsi-

O R A T I O

us sustentabantur. Graue rursus erat homini Christiano ac pie instituto tot cotidie falsis ac impijs cultibus interesse, ac ijs sese foede contaminare, confessionem aut perpetuo dissimulare, aut se suosq; omnes in manifestum periculum conijcere, quorum illud recta conscientia sustinere nequit, hoc uero carnis refugit imbecillitas. In hac itaq; lucta carnis & spiritus dum ipse BORDINGVS (ut de Ænea ait Virgilius)

Animum nunc huc celerem nunc diuidit illuc:

In partesq; rapit uarias perq; omnia uersat.

Ardet abire fuga, dulcesq; relinquere terras.

Neq; enim putauit homini, qui donum caeleste illuminatus semel gustauisset, licere in eo coetu agere hominum, in quo idolum Baal pro uero Deo coleretur. Cuius ipsum sententiae fuisse ipse in duabus ostendit epistolis, altera quidem ad Doctorem ÆPINVM, altera uero ad IOHANNEM STVRMIVM scripta. Non ignoras, inquit ad Æpinum scribens, quam misere hic affligatur Ecclesia nostra, quanque graue sit homini Christiano pieq; instituto tot εἰδωλομαυίας, quae hic fiunt cotidie, interesse, ac propè etiam suffragari. Nam ut integrum Deo cultum praestemus, nullo idololatriæ genere nos inquinantes, quam diu in his locis sumus, non uideo qua ratione fieri possit. Eò enim redacti sumus, ut confessio nostra aliqua ex parte dissimulanda sit perpetuo, uel capitis periculum

F V N E B R I S.

riculum subeundum. Quorum alterum eiusmodi est, ut recta conscientia sustinere non possit, alterum refugit carnis, quam plurimam adhuc circumferimus, infirmitas. Vnum igitur illud reliquum esse putamus, ut relicta Babylone, aliò migremus, ubi pura sit ac sincera Ecclesia. Nam quod Abrahæ præceptum est: Exi de terra tua, de cognatione tua & c. id ad omnes etiamnum pertinere arbitramur, qui intelligunt, quo cultu sit afficiendus Deus, ad apertè autem confitendum fortes satis non sunt. Quanquàm etiam apertè confessionis genus quoddam esse uidetur, patriam, cognationes & opes relinquere, abire in terram, quam Dominus ostendit. His ego causis impulsus decreueram iam dudum, relicta hac mea patria, ad uos commigrare. Hæc ille ad ÆP I N V M. Ad S T V R M I V M in eandem sententiam scribit multa, quæ ideò hoc loco prætermitto, ne prolixitate cuiusquam aures offendam, maxime cum acres hoc in loco disputationes audientibus uobis ab ipso habitæ, de eius animo sententiâq; ferre testimonium possint, quibus id quasi testatum relinquere uoluit, ne infirmis quidem superstitionis cultibus ullis absq; peccato interesse licere. Quod enim consortium esset iusticiæ cum iniusticia? quæ communio luci cum tenebris? quæ concordia Christo cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? aut quomodo conueniret templo Dei cum simulacris?

B b s Qua=

O R A T I O

Quapropter exite, inquit Dominus, de medio illorum, & separamini ab illis. Immundum ne tetigeritis, & ego suscipiam uos, & ero uobis loco patris, & uos eritis mihi uice filiorum & filiarum, dicit Dominus omnipotens. Eiusmodi, Prophetarum & Apostolorum BORDINGVS edoctus ac confirmatus sententijs reliquit patriam, reliquit matrem, & alios sanguinis necessitudine coniunctos, ut procul à Babylone in ea esset Ecclesia, in qua (ut ipse ad S T V R M I V M scribit) eos, quos Deus dedisset, liberos, uerè liberos, papisticiq; sceleris pueros ipsi conseruaret, satis patrimonij relictū ijs iri existimans, si margaritæ illius essent participes, qua una comparanda diuites ac beati sumus, & sine qua ueram illam felicitatem nemo unquam potest comparare. Hoc igitur instituto cum esset BORDINGVS, Antuerpia discessit, ac sedem commorationis Hamburgum transfuit. Qua quidem in urbe à Senatu stipendium liberale consecutus, id primū pietatis dedit specimen, quòd cum illis statim consuetudinem contraxit, quos religionis cultu atq; scientia antecellere intelligeret. Quo autem erga eos animo fuerit, hinc coniectura assequi licet, quòd in testamento à se facto, BOCHELIO cuidam Hamburgi commoranti pecuniam aliquam ceu institutionis in pietate Christiana δ'ιδ'ακτρον legauerit. Spiritualem enim patrem suum (me audiente) ipsum appellans,

F V N E B R I S .

pellans, ut qui spiritualia iuxta Pauli doctrinam seminasset, uoluit illum uicissim corporalia saltem metere. Hamburgensi senatui cum iam annos prope modum quinque seruissset, accersitus est ab HENRICO Megapolensi Principe, ut ipse eius operatum in aula, tum in Academia Rostochiensis uteretur. Vixit ibidem septennium, ac Medicinae studia ea in Academia non mediocriter ingenio, doctrina, disputationibus, ac caeteris laboribus scholasticis fideliter praestandis illustrauit, interdum uero Principi suo operam nauauit. Anno ab hinc 4. cum felicissimae memoriae rex noster Christianus et haec Academia altero Medico carerent, stipendio serenissimi regis et scholae nostrae huc est pertractus. Vbi uitae, quod fuit reliquum, ita transegit, ut apud serenissimum Regem et amplissimos huius regni proceres in magna esset gratia, utriusque suam erga ipsum munificentiam saepe declararent, in schola uero magna eius in docendo dexteritas, in disputatione acumen, in consilijs prudentia, in controuersijs componendis aequitas, in conuictu et uitae consuetudine modestia, comitas et facilitas ita ubique perspicerentur, ut nulla uitae eius pars fuerit, quae honesti ac boni uiri officio carere uideretur. Sed cum omnes uirtutes ac singulae hominem ornent, tum uero illae id maxime faciunt, quae homines inter se ipsos mutua beneuolentia deuinciunt. Cuiusmodi illae sunt, quae non intra priuatos se parietes conti-

O R A T I O

continent, sed foràs se longè lateq; ad alios diffun-
dunt. Nam prudentia, sagacitas, industria, diligen-
tia, temperantia, sobrietas, frugalitas & id genus
aliæ, prodesse magis illis uidentur, quibus insunt,
quàm alijs. At iusticia, pietas, ueracitas, beneficen-
tia, humanitas, comitas, affabilitas, amicitia exe-
runt se ad alios, & communi societati maximè sunt
utiles. Vtriusq; generis uirtutibus excelluit BOR-
DINGVS. Prudentia in ipso fuit singularis, ad con-
siliu inueniendum acumen, ad capiendum soler-
tiam quandam semper & sagacitatem attulit. Fuit
in eo usus rerum multarum, & cum multa partim
uidisset, partim audiisset, ac ueluti Vlysses qui-
dam $\pi\lambda\acute{\upsilon}\tau\rho\pi$ & hominum multorum urbes
perlustrauisset, moresq; eorum cognouisset, potuit
ex præteritarum rerum recordatione de futuris
solertem facere coniecturam, de præsentibus uerò
prudenter iudicare. Diligentiam eius & assiduita-
tem in laboribus scholæ sustinendis ipsi sæpè in le-
ctionibus & disputationibus perspexistis. Nun-
quam enim officij sui quicquam uel in docendo uel
disputando prætermisit, nisi cum uel felicissimæ
memoriæ Regi CHRISTIANO, uel alijs ægro-
tantibus operam suam nauare cogeretur. Non ad
multum diem in lecto manebat, sed summa cotidie
luce surgens aliquid aut meditabatur, aut lucubra-
bat, quod publicè lecturus auditoribus suis discen-
dum proponeret. Qua etiam ratione factum est, ut
plures

F V N E B R I S .

plures se Medicinae dederint, et quidam etiam non perum ijs in studijs profecerint. Quam autem sobriè & temperanter cotidie, tum domi suae, tum alienae uixerit, testes esse possunt conuictores eius, quiq; familiari & quotidiana eius consuetudine usi sunt. Neq; etiam credendum est, qui iuuenis harum uirtutum metis contineri potuit, eundem aetate iam ingrauescente extra easdem egressum esse. Iusticiae, ex qua una uiri boni appellantur, quaeq; fundamentum est perpetuae commendationis & fame, in tota uita fuit obseruantissimus. Obsuit enim nemini, sed profuit multis, iniuria affecit neminem, sed ab iniuria multos uindicauit. In schola nostra magistratu summo gerendo commodorum prorsus suorum oblitus, omnes actiones suas ad communem utilitatem retulit, ac totum scholae corpus ita curauit, non ut partes tantummodo quasdam tueri, quasdam deserere, sed ut omnes potius aequitate eadem continere uideretur. Qua fuerit in Deum religione cogitare potestis, cum patriam, qua nihil homini ad humanitatem instituto potest esse dulcius, reliquerit, ne se ipse ac suos idolorum cultibus foede contaminaret. Ferunt Ulyssem in illo diutino errore tam multa ubiq; passum optasse, ut fumum salutem patriae uideret, unde Ouidius ait:

Non dubia est Ithaci prudentia, sed tamen optat
Fumum de patrijs posse uidere focis.

Sed BORDINGVS cum eam semel religionem

ORATIO

gionem esset amplexus; quæ à Prophetis & Apo-
stolis quasi per manus nobis tradita est, hospitem se
planè & peregrinum esse in patria iudicavit, in
qua Deus iuxta uerbi sui præscriptum non colere-
tur. Aliam itaq; quæsiuit patriam, hoc est, Ecclesi-
am, in qua liberos Christo genuit, ac puram reli-
gionis doctrinam ita teneris eorum animis instilla-
uit, ut domus ipsius instar parvæ cuiusdam Eccle-
siæ censeri potuerit. Quæ pietate matrem, quæ id-
huc Antuerpiæ filio uiuit superstes, sit profectus,
norunt multi, & id unum satis indicat, quòd pater-
næ hereditatis partem totam illi reliquerit, et stu-
diorum nervos in Gallia & Italia propria uirtute
industriaq; ipse sibi comparârit. Fidem iusticiæ
omnis fundamentum in omnibus tum dictis tum fa-
ctis constanter seruauit, nihil homini turpius esse
ducens quàm prolixè multa polliceri uerbis, re au-
tem ipsa uel nihil, uel sanè parum præstare. Ab as-
sentationis uicio erat alienissimus. Non arridebat
ad omnia, non laudabat omnia: de quo Gnato ille
Terentianus gloriatur, inquiens:

His ultrò arrideo, & eorū ingenia admiror simul,
Quicquid dicunt, laudo: id rursus si negant, laudo
id quoq;.

Negat quis, nego: ait, aio: postremò imperaui ego-
met mihi.

Omnia assentari, is quæstus nunc est multò uberri-
mus.

Hoc

F V N E B R I S.

Hoc genus hominum Plutarchus autor grauis-
simus chamœleonti affirmat esse similitimum. Nam
ut ille colorum omnium exprimit similitudinem,
præterquàm albi, ita assentatores cùm similes sese
prestare nequeunt in his, quæ digna sunt studio,
nihil planè in turpibus imitatū relinquunt. B O R-
D I N G V S itaq; hoc uicium tam turpe ceu pe-
stem quandam detestatus, nullius beneuolentiam
blanditijs, sed candore potius et beneficijs, aut cer-
tè uoluntate benefica putauit esse colligendam.

Veritatis fuit amator & cultor, si quis alius.
Veras. n. de rebus diuinis & humanis noticias am-
plexus est, & à sophistica plurimùm abhorruit.
Calumniatoribus & delatoribus aures ne patefa-
ceret diligenter cauit. Nam quicumq; ut Menan-
der ait:

Διαβολαῖσι πείθετ' ταχὺ

ἦτοι πονηρὸς αὐτὸς ὄσι τὸν τρόπον,

ἢ παντάπασι παιδαρὶς γνώμῳ ἔχει.

Nihil sanè calumnia potest esse grauius. Duo
enim in ipsa sunt, qui faciunt iniuriam, unus uerò,
qui à duobus iniuria afficitur: cùm ipse calumnia-
tor absentem accuset, quòd iniustum est, & auditor
malè persuasus odio inflammetur aduersus eum,
qui nihil commeruit: quo nihil quoq; esse potest
iniustius. Rectè Thearidas quærenti, num gladius,
quem acuebat, esset acutus? respondit: acutiorem
esse calumniam. Infligit enim altè uulnera, quæ ut
maximè

ORATIO

maximè ad cicatricem perducantur ab eo, qui per calumniam ea accepit, manet cicatrix tamen, quòd pleriq; dum ueritatem ignorant, opinionem sequantur. Ad significare uoluit Ecclesiastes, dum ait: Calumnia conturbat sapientem, & robur cordis eius perdit. Nec sine causa affirmat capite decimo: Serpentem absq; sibilo mordentem non magis nocere, quàm maledicum & calumniatorem. Sed BORDINGVS ut ueritatem amore, ita calumniam odio est summo persecutus: quòd sciret illam cum Deo nobis esse communem, hanc uerò ipsius Diaboli esse propriam, cui id inde nomen Græci tribuerunt. Nulla etenim re æquè Deo fiunt similes homines atq; ueritate et beneficentia, quemadmodum sensit Demosthenes. Nulla itidem re propinquius ad Diaboli accedunt naturam & ingenium quàm calumnia & mendacio, testantibus id diuinis oraculis. Beneficentiam huius uiri experti sunt multi, in primis autem studiosi, quibus operam in mendando suam libenter & sine mercede præstitit. Humanitatem, comitatem & affabilitatem erga omnes declarauit tantam, ut quanuis ingenio, doctrina, uirtute & autoritate multis esset superior, submissiùs se tamen illis omnibus gereret. In scholæ certè administratione hæ ipsius uirtutes maximè fuerunt perspicuæ: In qua quantum ipsi erat concessum potestatis, tantum quoq; humanitatis cum seueritate quadam temperante adiunxit, ut hic ho

nos

FVNEBRIS.

nos non superbia uisus sit ac libidini, sed bonitati ac moderationi materiam dedisse. Nam qui secus faciunt, & naturæ quandam acerbitatem potestati adiungunt, illi & animi sui impotentiam arguunt, & odiosos se ac inuisos omnibus faciunt. Quemadmodum autem in magistratu suo rebusq; serijs cum humanitate summa seueritatem quandam in omni administratione necessariam coniunxit, ita in conuiujs hilaritatem quandam & urbanitatem honestam uirtutibus ijsdem aspersit. Symphonicos & peritè suauiterq; canentes libenter audiuit, & cum Musicen rectè calleret, ipse unà sepe cantauit, satius & honestius esse arbitratus, suauis cantu se ac cæteros conuiuas recreare, quàm poculorum magnitudine bibendoq; palmam quærere, quod hodie faciunt multi, qui immanibus poculis ita se mutuo poscunt, ut tandem neq; pedes suum faciant officium. Sed multò præstaret huius uiri imitari exemplum, & putare conuiuia ad uitæ potius conjunctionem, quàm ad computationem à maioribus concelebrata fuisse. Nam quòd Greci tum computationem, tum concoenationem uocent conuiuium, mirum uideri non debet, cum gens ea luxuriæ planè dedita in more etiam habuerit nominare in conuiujs, cui poculum esset tradendum. Hisce itaq; tot ac tantis, quas modo numeravi uirtutib. BORDINGVS cum ornatus fuerit, age quæso cæteras pari breuitate perstringamus. Commemorat lo-

Cc

co quo-

O R A T I O

co quodam Plato, signum probitatis esse præcipuum, abundare amicis. Id si ita est, quis negabit BORDINGVM fuisse probissimum, qui in multis ac præcipuis Europæ locis tam multos amicos habuit? Est sanè amicus nomen desiderabile, et quo quis facillè carere nequeat, infelicitatis refugium, arcanorum receptor, optima vitæ supellex, nequæquam (ut ait Salustius) homini cuiquam amicorum satis fuit. Scipio itaque non prius ex foro domum reuerti solitus fuit, quàm familiarem sibi aliquem & amicum fecisset. Sed hæc uirtus cum hisce temporibus difficilimis & tristissimis rara sit, dignus erit certè hic uir, qui hoc nomine à nobis commendetur, quippè qui & cum multis amicicias contraxit, & easdem omnes piè inuiolateque conseruauit. Neque enim ueteres pro consequentium nouitate fastidiuit, neque ijs est usus ut floribus, qui tam diu solent esse grati, quàm diu sunt recentes, sed quas semel conglutinârat, easdem etiam summa fide & religione coluit. Decet. n. ut inimicicias mortales, ita amicicias immortales esse. Quàm autè religiosus ac sanctus amicicie custos fuerit Bordingus, & qua uicissim fide amici absentes ipsum dilexerint absentè, testes sunt multæ tum ab ipso Bordingo ad doctos multos in Germaniam, Galliam & Italiam, tum horum inde uicissim ad ipsum missæ literæ, ex quibus legens facillè cognoscit, ueram & minimè fucatam inter BORDINGVM et ipsos
ami-

F V N E B R I S.

amiciciam extitisse, cum (ut ex literis apparet) inter absentes ipsos & maximo locorum interuallo disiunctos consensus semper fuerit honestorum consiliorum & uoluntatum, quo nullum uinculum potest esse aut arctius aut certius. Est enim uera amicicia animorum quaedam coniunctio, uirtute ac morum studiorumq; similitudine comparata, quæ ubicunq; quis sit, præstò tamen est, ac nullius loci intercapedine dirimitur. Quo quidem nomine multi ostendunt, neq; ueros se unquam amicos fuisse, neq; ueris ad diligendum causis fuisse impulsos, qui aut absentes amicos negligunt, quòd ex ijs fructum magnum tanquam amiciciae mercedem non sperent, aut ueteres amicicias paulatim dissuunt, quòd nouæ magis delectent, aut deniq; leuissimam sæpè ob causam ira incensi repente easdem præscindunt: A quo amicorũ genere BORDINGVS existimauit esse cauendum. Sunt enim numerorum adulterinorum instar, quos dum quis habet, perditos cupit, amissos gaudet, ut ait Plutarchus. Si quis enim arcani quippiam in illorum sinu effuderit, id inimici facti foras eliminant, & amicicia, quæ coniunctionis debebat esse uinculum, ad alios disiungendos pessimè abutuntur. Tales amicos Plautus hisce uerbis depingit:

Multi more isto atq; exemplo uiuunt, quos cum Tibi amicos, reperiuntur falsi testimonijs, (censeas
Lingua factiosi, inertes opera, sublesta fide.

C c z Sed

ORATIO

Sed eos ita amicos habere conuenit, ut fieri posse inimicos putemus, ita credere illis amicis, ut non sit inimicis locus, deniq; Martialis Poëta meminisse, qui ita præcipit:

Si uitare uelis acerba quædam,

Et tristes animi cauere morsus,

Nulli te facias nimis sodalem.

Gaudebis minus, & minus dolebis.

Verum longius, quam uolui, oratione prouectus sum. Sed cum animo mecum perpenderem hanc uirtutem in multis inuentu raram, in hoc uiro ceu Hesperum inter alia lucida sidera maximè præclaram fuisse, non censui omnino eam silentio à me esse prætereundam, maximè cum laus eius ad commendationem huius, in quo ea fuit, magnoperè pertineat. Restant uirtutes aliæ uiri huius, & multæ quidem illæ, in primis uerò εἰς πλοῦσιν, cuius in tota uita fuit amantiſſimus, de qua, ac item alijs cū temporis angustia me nunc dicere nō patiatur, eas tantum attingam, quæ in uitæ huius uiri exitu maximè illustres fuerunt, cæterarum cogitationem animis uestris relicturus. De pietate itaq; & animi constantia dicam pauca coniunctim, quarum illa tametsi in cæteris uitæ eius partibus nequaquam fuit ociosa, in extremo tamen actu magis, quam in illis, omnibus se eam conspiciendam ostendisse, nūc cognoscetis. Nam ubi naturæ robur an morbi magnitudinem superaturum esset dubitaret, mentem
statim

F V N E B R I S .

statim ad sanctissimarum rerum cogitationem conuertens, usus est communione Corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. Qua ceremonia ritè peracta, de testamento faciendo cœpit cogitare, me audiente, inquit: Posteaquàm iam Deo Patri esset reconciliatus per Filium, & illius reconciliationis per Filium factæ usus fuisset symbolo, tempus esse, quo sibi deinceps de uxore, liberis, ac re tota familiari ex amicorum consilio & sententia aliquid sit certi constituendum. Eam itaq; ad rem viros quosdam delegit, quos sperabat debitum officium, quod uxori & liberis esset præstandum, minime neglecturos. Rebus ita omnibus ad moriendum prudenter & piè comparatis, cordis quædam compressio, & lateris punctiones subsequutæ sunt, quibus tametsi triduo toto grauissimè torqueretur, animo tamen fuit præsentem, neq; de eius constantia quicquam amisit. Audiui enim decumbenti astans, qua animi fiducia sententias consolatorias recitaret, sequè ipse ijsdem in doloris magnitudine consolaretur.

Nôrunt multi, quæ pietatis argumenta pridè, quàm moreretur, erga uxorem & liberos declararit: quo tempore putandum est cœpisse eum de migratione seriò cogitare. Uxore nanq; & liberis eo die, hora circiter octaua matutina ad lectum accersitis, orationem primùm ad astentes habuit, qua ipsos officiorum omnium à sua morte præ-

C c 3 stando

O R A T I O

standorum amanter ac paternè admonuit.

Deinde Patriarchæ Iacob exemplum secutus, manu imposita, felicia quæq; singulis precatus est. Postremò uxorem amplexus, ac eidem fausta eadem precatus est. Quibus ita peractis, cunctos dimisit, & sese ad quietem composuit, ac si tum nihil esse reliquum putaret, quòd uxori & liberis ab ipso præstari posset, & tempus uenisset, quo Deus ipsum ex huius mortalis uitæ ærumnis ad felicitatem esset uocaturus. Non possum, quin hîc uiri huius animi constantiam & fortitudinem singularem summa pietate cõiunctam ueluti exemplum quoddam ob oculos statuam. Solet communis ille humani generis hostis Diabolus tum præcipuè telis suis hominem inuadere, cum moriendum est, ut morbi doloribus fractum & mortis terrore percussum gradu quasi deiiciat. Solet, dum corporis dolores ægotantem excruciant, animum naturali quasi commercio condolentem, quantum potest, aduersus Deum concitare. Suggestit ægotanti opes magnis laboribus acquisitas, honores, uxorem, liberos carissimos, amicos & sanguinis necessitudine cõiunctos esse deserendos. Peccatorum grauitatem exaggerans, horrenda gehennæ supplicia statuit ob oculos, mortem æternam mimitatur atq; denunciat, deniq; eas ad ægotantem expugnandum adhibet machinas, quæ uel adamantinum murum frangerent, ac fortissimũ quemq; uirum deiicerent.

At

F V N E B R I S.

At BORDINGVS qua animi fortitudine huius
 communis omnium hostis tela repulerit, mucro-
 nem illius acutissimum retuderit, deniq; quibus di-
 uini uerbi armis uictoriam sibi gloriosam, prostra-
 to hoste, compararit, nunc cognoscetis. Ea nocte,
 quæ diem mortis præcessit, hora prima, Cantionem
 Doctoris Lutheri, *Wir gleuben* incoauit, sed
 cum præ morbi magnitudine uox languesceret, ab
 astantibus eam cantari uoluit, & cantione finita,
 caput Esaiæ quinquagesimum tertium de Christo
 redemptore nostro, Item Iohannis caput tertium de
 regeneratione & iustificatione hominis legi dili-
 genter & attentè audiuit. Quo quidem tempore
 cum uox planè deficere inciperet, M: TYCHO
 pastor noster & ego accersiti, cum animaduerte-
 remus, hanc illi uitam multò diutius prorogari non
 posse, locos quosdam consolatorios illi proposui-
 mus, inter ceteros uerò illam sententiam quæ est
 apud Iohannem cap. 3. Sic Deus dilexit Mundum,
 ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui
 credit in eum non pereat, sed habeat uitam æter-
 nam: Item illam Pauli ad Romanos. 8. Si Deus pro
 nobis, quis contra nos? Qui proprio Filio non pe-
 percit, sed pro nobis tradidit illum, qui fieri po-
 test, ut non & cum eo nobis omnia donet? Eiusmo-
 di & similibus sententijs cum ipsum consolati es-
 semus, manu porrecta utriq; egit gratias, & ocu-
 lorum uultusq; totius indicijs minimè obscuris si-
 gnificat.



O R A T I O

gnificauit nostrum ipsi officium gratissimum fuisse, seq; non parum in illo extremo actu suo à nobis esse recreatum. O te Bordinge fortissimum & simul felicissimum, qui diuini uerbi septus armis, communis illius hostis impetum nō sustinere modò, sed etiam uim eius omnem frangere potuisti. Errata humanæ imbecillitatis obiecit? Tu Liberatorem Dominum nostrum Iesum Christum in aciem contra illum produxisti, liberatorem inquam, qui passus est propter peccata nostra, & resurrexit propter iustificationem nostri. Ille gehennam minatus est? Tu omnes illius minas & terrores hac inuicta redemptoris nostri sententia fortiter repulisti, qui sic dixit: Ego sum uia, ueritas, & uita, qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, uiuet. His tu armis tectus omnem dolorem, mortem, gehennam non contempsisti modò, uerum etiam facile superasti, & hunc spiritum annis 49. mensibus duobus, die uno tibi à Deo concessum die Iouis proxima hora pomeridiana quarta, ei, qui dederat, lubens reddidisti. Possem hic quorundam more imbecillitatem nostram, communis uitæ conditionem, & fortunæ iniquitatem deplorare, maximè cum uideamus multos, qui ad lædendos alios uitam sibi datam conuertunt, ualetudine diu esse firma, cum utilius Reipub: uideri possit, aut nunquam natos esse, aut natos quàm primùm interiisse, eos uerò, quorum uita Reipublicæ salutaris est, aut morbis impediti, aut

morbis

F V N E B R I S.

morbis citius nobis eripi, quàm Reipub: ferat uti-
 litas, hæc inquam possem deplorare, & uiri huius,
 qui longiori uita erat dignissimus, mortem lamen-
 tari, sed id facere nec temporis finit breuitas, nec
 me decet, nisi uideri uelim, huius præclari uiri
 gloriæ, qua nunc apud Deum perfruitur, inuidis-
 se. Id tantum dico, nos uiri huius interitu homine
 optimo, prudentissimo, iustissimo, ueritatis aman-
 tissimo, modestissimo et humanissimo, deniq; in om-
 ni literarũ genere doctissimo, esse spoliatos. Quod
 postquam ita uisum est Deo, qui, dum hanc scholam
 breui iam tempore excellentibus aliquot uiris or-
 bavit, iræ aduersus nos edit testimonium, nostram
 potius miseriam, quàm huius mortem deploremus,
 quem minimè dubium est ex hac urbe & colluio-
 ne ad illud diuinorum animorum concilium disces-
 sisse. Sit tantum grata nobis uiri memoria, uirtutes
 illius imitemur, ac animis eas nostris infixas sem-
 per teneamus. D I X I.

EPITAPHIUM CLARISSIMO VI-
 ro, D. Iacobo Bordingo, patri suo carissimo,
 Scriptũ à Philippo Bordingo filio.

Sic'ne iaces igitur pater ô carissime, sic'ne
 Nos tua destituis pignora? sic'ne iaces?
 Sic'ne iaces animæ pater ô pars maxima nostræ?
 Nosq; facis miseros penè dolore mori.
 Heu mihi quã uarijs plena est hæc uita procellis,
 Heu mihi quàm subito quæ ualuere iacent.

C c § Hafniacos

EPI T A P H I A

Hafniacos nuper portus clarumq; lyceum,
 Et liqui patriæ limina cara domus,
 Et me ritè ualens genitor dimisit in urbem
 Leucoream, celebres sunt ubi laude uiri.
 Interea patria procul à regione remotus,
 Dum tribuo studijs oia grata meis:
 Occumbit Danicis genitor dilectus in oris,
 Auxilium uitæ præsidiumq; meæ.
 Heu mihi cur patrijs non mansi fidus in oris?
 Audiui & patris uerba suprema mei?
 Extremumq; uale dixi, dextramq; prehensens
 Ostendi fidei tristia signa meæ?
 Ipsiusq; manu morientia lumina clausi,
 Perfundens lacrumis ora paterna pijs,
 Cur non deduxi uenerandi funera patris?
 Qui fuerat cordis portio summa mei.
 Sed quid ego uana depromam uoce querelas?
 Et referam miseris carmen inane modis.
 Tèpus enim ueniet, quod nec procul auguror esse
 Aspiciam rursus cum patris ora mei,
 Cumq; ipso gaudens summum celebrabo tonantem,
 Illius interea molliter ossa cubent.

ELEGIA NATHANIS CHYTRÆI,
 de Obitu clarissimi uiri IACOBI BOR-
 DINGI, Artis Medicæ Doctoris,
 domini & patroni sui
 colendi.

Ecce

IACOBI BORDINGI.

ECce uirescentes cur tristis Apollo Coronas,
Proijcit & doctæ pleetra sonora lyrae?
Et modò funerea cur turba nouena cupressò
Cingitur? & pressos fundit ab ore sonos?
Scilicet occubuit BORDINGVS in arte medeã
Clarus, Apollinei fama; prima chori. (di
Qui propter uarias diuino in pectore dotes,
Viuere perpetuò tempore dignus erat,
Sanctus enim uera; fuit pietatis amator,
Pura; qua potuit dogmata iuuat ope.
Ipsius ex gestu grauitas, ex ore reluxit
Candor, & ingenuæ simplicitatis amor.
Fidus erat fidis, constans & amicus amicis,
Nullus in ipsius pectore fucus erat.
Iupiter & reliquas ut uincit lumine stellas,
Fulgidus in medio cùm micat ille polo.
Sic medicos nostri BORDINGVS temporis
Ingenij uicit dexteritate sui. (omnes
Dux Meglaburgiacus IOHANNES inclytus
Deplorat Medici fata suprema sui. (heros,
Cunctæ etiam plantæ, radices, germina, flores,
Dum languent luctus dant modò signa sui.
VVernouiusq; pater uultus in flumine condit,
Et lacrumis tristes tristis adauget aquas.
Illius ad ripas uirides nam quærere plantas
Sueuerat, & doctis uerba referre modis.
Illius ipsa necem deflet Mosa, Sequana, Rhenus,
Atq; tumens Rhodanus, populiferq; Padus.

Ipsè

E P I T A P H I A

Ipse ego ceu patris, BORDINGI funera luxi,
 Namq; fuit studijs ancora fida meis.
 Ancora fida meis semper fuit ille Camænis,
 Hoc duce Danorum Rex mihi dona dedit.
 Sed mea quid nimio consumam corda dolore,
 Et fundam querula carmen inane lyra?
 Quin potius BORDINGE tibi iam gratulor, illa
 Tam bona mutata quòd loca sorte colas.
 Inter & angelicos cantes noua carmina coetus,
 Et uita incipias prosperiore frui,
 Cumq; tuo Christi dicto de nomine rege
 Conspicias summum concelebresq; Deum.
 O te felicem, te terq; quaterq; beatum,
 Qui capis in regno gaudia uera Dei.

CARMEN PHALÆCIVM IOHAN-
 nis Sasceridis de obitu Bordingi.

Belgarum decus hoc reliquit æuum
 BORDINGVS pietate magnus exu l
 Summaq; inclytus eruditione:
 Cui septem patuère nationum
 Linguae, quem soliti medendi ob artem
 Certatim sibi postulare Reges,
 Et largis opibus remunerare.
 Vir ualdè sapiens is & modestus:
 Doctrinæ ingenium capax habebat,
 Et suaues pariter grauesq; mores,
 Candore omnia temperans amico.

In summa,

IACOBI BORDINGI.

In summa, MACABÆVS exul olim
Quantus uenerat ex agro Scotorum
Cultus defugiens abominandos,
Vt Christi sacra uerba perdoceret
Danos, Hafniacæ scholæ Professor
Pollens cloquij uir, ingeniq;
Magnis dotibus, eruditus, acer
In uera pietate promouenda:
Tantus nunc Medica refulsit arte
Necnon omnigena eruditione,
Regno commoda Danico ministrans
BORDINGVS, simul optimum probatus
Hamburgæ specimen sui dedisset
Antè, & Rostochio celebris urbi.
Quando Antuerpia patria eius ipsi
Primum quòd coleret Papam relicta est.
Tandem hîc Hafniacam regens iuuentam,
In ueræ fidei professione
Decessit, memorandus ex nouena
Pulcrorum quoq; prole liberorum
Multa in secula, dum superstes orbi
Quodam semper in his modo manebit.
Sed nomen sibi propria parauit
Vita firmitus, absq; sine, uoce
Sanctorum celebrandus Angelorum.

EPITAPHIUM DOCTORIS BOR-
dingi à Iohanne Pratenfi conscriptum.

Musa

EPI T A P H I A

Mvsarum decus & cultissimus arte medendi
 Bordingus, tumulo puluis & ossa iacet:
 Bordingus pietatis amans, uirtutis alumnus,
 Bordingus doctæ docta columna scholæ:
 Ah iacet extinctus, quem uirtus clara fidesq;
 Extulit excellens ingenijq; decus.
 Ah iacet æternas qui fouerat arte Camœnas,
 Primaq; cui Christum noscere cura fuit,
 Siccine fatales, rigidissima numina, parçæ
 Mittitis in tantos, noxia tela, uiros?
 Siccine letiferis nulla ratione sagittis
 Letiferæ perimunt, ardua corda, manus?
 Tollitis, hic uobis mos est, doctosq; probosq;
 Sed numeros implent deteriora suos.
 Nil'ne pudet? tristi Bordingum soluere fato.
 Quid mouit? dicam: quod probus ille fuit.
 Candidus ille fuit, rari seruator honesti,
 Iudicioq; ualens, ingenioq; ualens.
 Italia hunc nouit uiuum, Saturnia tellus,
 Floruit hic terris Itale clare tuis.
 Hunc populosa nimis regio, crebrisq; refulgens
 Urbibus, agnouit Gallica terra uirum.
 Nouit & Arctois audax Germania terris,
 Dania quæq; auidas eminet inter aquas.
 Doctus ubi docuit Linguas, artomq; medendi,
 Certa complexus quam ratione fuit.
 Pallentesq; hominum morbos et languida membra
 Curauit facili, non sine laude, manu.

Te ta=

IACOBI BORDINGI.

Te tamen ô Bordinge scholæ mors atra reuulsit,
Orbati docto nosq; parente sumus:
Qui nos Phœbeas certa ratione per artes
Duxisti, ignotum ne graderemur iter.
Ergo tuam meritò deflemus candidè mortem
Bordinge, & uitæ stamina rupta tuæ:
Mœstaq; ducentes imo suspiria corde,
Tam gemimus nostri funera cara patris.
Sed cùm certa Dei fuerit patris ista uoluntas,
Te proprium proprio condecorare sinu:
Illustremq; animam clarum conscendere cœlum,
Æterna semper lætitiâq; frui:
Hunc læti insignem meritò gratamur honorem
Ereptum tantis, te duce Christe, malis.


EPITAPHIUM SCRIPTUM
â Iohanne Bocero.


Belgica me genuit, rapuit sed Dania, Phœbo
Seruiui uitæ munere, mente Deo.
Terrestres plantæ, notæ ualeatis & herbæ,
Vos mihi non, Christus uiua sed herba fuit.

ALIUD EIVSDEM.

Cognorâam multas, non attulit ulla medelam,
Vna mihi radix Christe salutis eras.

F I N I S.





a
Fg 4701

1. Libb: Fg Ll. 150.
2. " Ua I, Bl. 43.

f

ULB Halle


3


004 587 634



Sb.







ORATIO
 IN FVNERE
 VIRI DOCTRINA ET
 VIRTVTIBVS CLARISSIMI,
 Doctoris *IACOBI BORDINGI*,
 Hafnienſis Academiae Rectoris, & Sereniffimi
 Daniæ Regis
 Medici :

Habita à

IOHANNE SPITHOVIO Monasterienſi, Academiae eiusdem
 Profefſore Phyſico.



VITEBERGÆ
 EXCVDEBAT IOHANNES
 CRATO.

ANNO M. D. LXII